

VIVAT REX,

Seu

Προσευκτικὸν pro incolumitate Serenissimi Regis

CAROLI,

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ ET *HIBERNIÆ REGIS, FIDEI DEFENSORIS,*

Ejusque felice in Scotiâ inauguratione.


CICERO.

Vita brevis, cursus gloriæ sempiternus.



ABREDONIÆ,

Excudebat EDWARDUS RABANUS. 1633.





SERENISSIMO REGI,

DUm Fergusiadûm diademate sidera tangis,
Et stabili firmas sceptra paterna manu;
Incertum Primus venias, Magnusne Britannis
CARLUS, an hinc geminus Rex tibi surgat honos?
Es Primus, meritisque nites ita Magnus ab Arcto
Laudibus, ut secli sis Cynosura Tui.

Majestati Tuæ

Servus obsequentissimus,

DAVID WEDDERBURNUS.





VIVAT REX.



IA age Calliope summum concede laborem
Hunc mihi; sis nostræ quávis in vota senectæ
Difficilis, CARLI Regis tamen ardua virtus,
Adventusq; animos revocet vegetetq; priores.
Tuq; adeò Rex magne novas Tu fronte serenâ
Sufficis hic vires: duce Te vel ad edita Pindi
Culmina quis celeri dubitet contendere gressu?
Te duce gens sese jactans Fergusia festas
Passim agitat secura dies; renovatque canoro
Lætitiam fremitu vox hæc solennis, Avitum
Magne tibi, Rex magne tuis Diadema perennet.
En ut te reducem Proceres gratentur, ut una
Omnibus hic mens sit: populi tot gaudia, tantos
Adspice concursus. Regi pia pectora cernis,
Et genti devota suæ; quæ Martis alumnos
Dum parit, audet opes contemnere, terque quaterque
Rege suo felix, DEUS hæc modò vota secundet,
Magne tibi, Rex magne tuis Diadema perennet.
Si genus immortale tuum, meritosque triumphos, Diadematis eminentia.
Et proavûm repetas fastos ab origine primâ,
Huic nullum diadema videt par Phœbus, ab undis
Seu medium subvectus equis petit ætheris axem,
Seu maris occiduas rursus se condit in undas.
Quippe per innumeros Fergusi missa nepotes
Sceptra tenes, quis nulla dies sine vindice ferro
Dedecus attraxit, minuitve ingloria laudem.

Scotorum Trophæa.

Exemplis cum certa fides illuſtribus adſit,
Pauca canam, rerumque ſequar faſtigia ſumma.
Cimbrorum Europam tempeſtas quanta per omnem
Sævierit quondam memor uſque eſt Gallia, Gallis
Finitimique Angli: Cimbros tamen inclyta Regum
Scotigenûm virtus domitos dare terga coegit.
Quid loquar antiquos, quorum gens eruta, Pictos?
Sæpe Caledoniis vicinam pellere gentem
Finibus eſt conata manus malefida; ſed auſûs
Hos luit æternâ tandem ſubverſa ruinâ.
Quid Brito potuit? quamvis molimine magno
Undique ferratas acies objecerit hoſti.
Quid qui depoſitis armis jam Rege ſub uno
Concordi coiere jugo, fraternaque fratres
Pectora promeriti renovant Saturnia ſecla?
Quò feſſum me Roma rapis? quas ære phalanges
Cernere fulgentes videor? Regumque Ducumque
Quas ſtrages, fuſoque undantem ſanguine Fortham?
Tot tamen hos caſûs, hæc tot diſcrimina belli
Vicit amor Patriæ, famæque innata cupido.
Sic tibi Rex, ſic magne tuis diadema perennet.

Scotiæ Reges magnanimi.

Ecce Iameſoni tabulam pictoris! ab alto
Sanguine Ferguſi proavos per ſtemmata pictos?
Eminet ipſe Pater: ſeries animoſa ſupernè
Eminet: hinc nati ſubeunt, ſubit æmula virtus
Lætaque Majorum ſeſe diademate cingit.
O diadema omnis meriti vis ipſa! corona
Magni animi! Regumque decus, qui fortibus armis
Eminuere. Habeat primas ſibi Romulus ille
Scotorum: haud longo cui proximus intervallo
Carratacus, fidens animi atque in utrumque paratus,
Seu domitare hoſtem, ſeu certæ occumbere morti.
Mox Corbredus adeſt aquilæ contemptor, & audax
Eugenius, belli duo fulmina, diſpare quamvis
Fortunâ. Quantus prodit Ferguſius alter?
Omni jam poſitâ ſpe libertatis in arcto.

Iam

Iam Patriâ amiſsâ. Vicit tamen ira Leonis.
Sic tibi Rex, ſic magne tuis diadema perennet.
In noſtrum fabricata fuit quæ machina nomen,
Hâc ruit in Pictos Pictis acerrimus hoſtis
Kennethus: finemque malis gentique nefandæ
Funditus everſæ ſupremam fecit; Avitum
Magne tibi, Rex magne tuis diadema perennet.
Bruſſius hoc quondam redimitus tempora, fati
Turbine, fortunæque omni diſcrimine major
Floruit. En clypeos conſertos agmine denſo,
Oppoſitaſque haſtis haſtas: per tela, per enſes
Fit via vi; victos pariter pudor iraque miſta
Victoreſque animant. Tandem tamen altior Heros
Hoſtibus & nulli veterum virtute ſecundus
Vincit, & intactum regni ſibi ſervat honorem.
Sic tibi Rex, ſic magne tuis diadema perennet.
Iuſtitiæne prius mirer, belline laborum Iuſti.
Quos Proavi cum laude tui Rex magne tulere?
Signa oculis Mainum, Finnanum; nomina priſca,
Non mage priſca tamen quā magna. Hic ſecula regnis
Digna tuis Princeps; Themis hic Themis ipſa triumphat
Uſque, Metellanus ſapiens cum prodit: Evenus
Cum curru invehitur, Rex ſervantiſſimus æqui.
His addunt ſeſe comites Congallus, Ederus,
Etſinus, Conranus, Achaïus autor amicus
Fœderis immoti, Scoto quo Gallus amore
Æterno eſt junctus, radios dum Phœbus ab Indo
Littus ad Heſperium rutilo transfuderit axe.
Sic tibi Rex, ſic Carle tuis diadema perennet.
Adde quòd à primis ſeclis diadema dicatum Pii.
Iam tibi ſacrarit Reges pietatis amore
Illuſtres: Diadema pii ſceptrumque Donaldi
Adſpice: clauſa priùs prior hic patefecit olympi
Limina, ſub leges totum cum mitteret orbem
CHRISTUS & inferni premeret pede colla tyranni;
Tum verò Druides procul exceſſere, ruitque

Vana superstitio, veræque ignara salutis.
Hæc firmo Cratilinthe premis vestigia gressu.
Te Fincormachius sequitur. Dongardus ab alto
Præsulibus sacris sacrum parat inde tiaram.
David opes amplas superaddidit, amplaque passim
Prædia, perque omnes nemorosa palatia fines.
Quid? quid tot memorem Reges? cognominis aura
Sufficit una tui. Steuartos pectore conde;
Progeniem imperiis natam & felicibus auctam
Auspiciis, omnique genus memorabile seclo.
Iacobus pacificus. Quos quibus anteferam? Genitor tuus ille suorum
Sextus Atlas proavûm, laudes supereminet omnes.
Hic est, hic nempe est, Regum cui prima voluptas
Discordes vincire animos: qui bella perosus
PACIFICUS dici meruit, semperque merebit.
Potentissimus Monarcha Carolus. Hoc Tu progenies felix Genitore; Britanni
Quæcunque immenso pelago circundata cernunt
Littora, quicquid agri fœcundam ditat Iernen,
Iuris id esse Tui jussit, Tibi subdidit uni,
Uni tergeminos voluit submittere fasces.
Vnio. Velle aliis, Tibi posse datum, tria fœdere regna
Iungere solenni, quod non abolere vetustas
Ulla queat; toto nos dividet orbe Britannos
Dum mare, dumque polus radiantia sidera pascet.
Sic tibi Rex, sic magne tuis diadema perennet.
Ecce gregem CHRISTI studia in contraria scissum.
Nullus in Ecclesiâ controversiarum modus. Idque pii & quorum melior sententia menti
Usque gemunt, frustraq; gemunt, nisi provida Regum
Cura tot ingeniis plusquàm petulantibus arcta
Vincla paret, rixisque modum lex publica ponat.
O miseras parteis! Peperit quas Livor ab Orco
Tartareisque Erebi tenebris emissus ad auras
Æthereas, quas auxit amor sceleratus habendi,
Ambitioque levis, dum sobrietatis amorem
Excutit & cœcas agitat per inania mentes.
Ast quid ego hæc? tristes procul hinc procul ite querelæ

Candida

Candida Pax placidè niveis huc advolat alis.
Nuntia lætitiæ lux hæc diadema paternum
Exhibet, exhibeat tibi Pacis amabile nomen.
Pacificique piè ſoboles Patris æmula, perge
Quà pacis te ducet amor. Salebroſa paranti
Ire via & variis eſt circumfuſa periclis;
Perge tamen. Virtus tua te perque horrida teſqua,
Perque tot anfractûs clivoſi tramitis, arcem
Evehet ad celſam Pacis: Teque auſpice, dura
(Sic caſtò) poſitis miteſcent ſecula bellis.

Paræneſis ad Pacem Eccleſiaſticam.

Semita pacis habet veterum veſtigia Patrum,
Quæ quicunque premit, non veri effœta moratur
Somnia, quæ finxit pravè ſibi credulus error.
Quicquid cana fides, primæva Eccleſia quicquid
Tradit, in hoc jurat, ſeſeque huic mancipat uni.
Sic, præfracta licet, coaleſcent pectora; ſtirpe
Sic florentis amor pacis revireſcet ab imâ.
Pacis amor terris per te revireſcet, honoris
Hunc apicem Superûm Rector tibi deſtinat uni.
Adſpice quot terræ fueris pelagique periclis
Defunctus, cum Te vidit tua Gallia, cum Te
Duxit ad occiduas juvenem Tagus aurifer undas.
Sorte tua o nimium felix! cui ſternitur æquor,
Et celeres juſſi veniunt ad carbaſa venti.
Sic tibi Rex, ſic magne tuis diadema perennet.
Eſt ea Rex animi pietas tibi, gratia formæ,
Integritas vitæ, ſolidæ fundamina pacis
Ponere quæ valeat, ſanctumque æquare laborem.
Namque alios, primo floret dum vere juventa,
Primaque dum validis adoleſcit viribus ætas,
Cœca voluptatis luxûſque in retia cœcos
Præcipiteſque trahit, furiatque inſana libido.
Tu, Rex uſque tui, vitiis procul omnibus, omne
Fers punctum, vivaxque omnis virtutis imago es.
Sic tibi Rex, ſic magne tuis diadema perennet.
Inde thori conſors, genus alto a ſanguine Regum,

Magnanimûmque Ducum, pulchrâ te prole Parentem
Fecit, vt ad seros mittat tua Sceptra Nepotes.
Nec sola hæc animi decorant te præmia casti,
Ornat & alta quies. Omnem en bella, horrida bella,
Implicuere orbem, primo quà Gangis ab ortu
Axe refert lucem Phœbus, conditve relatam.
At Tibi Carle DEUS clementior otia fecit,
Tuque tuis. Placidè sub aviti culmine tecti
Conjugis amplexu fruitur, dulcique nepotum
Agmine gaudet agri vacuus formidine cultor.
Cultorisque comes pastor per amœna vireta
Notorum nemorum, patulæque sub arboris umbrâ
Carminibus celebrat patriis Amaryllidis igneis.
Interea ominibus Proceres, votisque secundis
Adventumque sui Regis, Satrapasque verendi
Quotquot honoratos legarunt undique Reges,
Et Comitum illustres, densas Equitumque catervas
Excipiunt; citreas famuli longo agmine mensas
Extructis onerant dapibus, veterisque Lyæi
Pocula, magnorum Proavûm monumenta, reponunt.
Hinc lauta inter se læti convivia curant.
Postquam est facta quies epulis, mensæque remotæ
Ordine quisque suo (Regi tamen ante salutem
Et fortunatæ soboli, triplicique precatus
Imperio) pateras spumantes haurit & inde
Te vocitat: resonant plausûs juvenumque senumque,
Altaque respondent laquearia carmen, Avitum
Magne Tibi, Rex magne Tuis diadema perennet.
Insuper & civeis hilarat præsentia Regis
Expectata diu. Tibi portas pandit *EDINA*,
Multiplicique Tui, sub imagine, pingit amorem.
Hic juga Parnassi viridantia carmina mille
Aonidum, vocum mulcent discrimina mille.
Fulminaque ingeminant arces, sonituque tremendo
Hinc atque hinc auræ reboant, lætusque tubarum
Alternansque modos ferit aurea sidera clangor.

Vincat

Vincat Edina, loci vincat potioris honore;
Regis amore tamen nunquam, mihi crede, sorores
Vicerit illa suas. Taides nostri inclyta Regni
Gloria Te Regem pronæ Dominumque salutant.
At quæ tecta Deæ vitreis sub fluminis undis
Pumice strata colunt Nymphæ, ditissima gemmis
Quæque fluenta regunt Donæ, tibi seque suosque
Devovere uni. Comes his *ABREDONIA*, dulci
Dulce tuo quondam Genitori nomen, ab uno
Te pendet, Regemque suum te suspicit unum.
Hìc tibi felicem *CONCORDIA* ponit olivam,
Unanimesque fovet sub amico fœdere civeis:
Festa quibus lux ista nitet, dum vina coronant,
Dum cum virginibus matres, puerique choreis
Indulgent agiles; tensisque ad sidera palmis
Pro Te ,proque Tuis, dictis his æthera complent.
Sancte Pater Superûm meritas tibi pendere grates
Non opis est nostræ; fruimur quòd Principe, Princeps
Quòd rutilante atavûm diademate tempora cinctus
Pacifici Patris solio jus dicit ab alto:
Quòd placidis sperata quies nos protegit alis,
Muneris omne tui est. Ævum da duret in omne
Sors hæc alme Parens, & per vestigia terras
Dum sua Sol ambit, tenebras dum sidera noctis
Discutiunt, votis his annue mitis, Avitum
Magne Tibi, Rex magne Tuis diadema perennet.

D. W.

